DISSERTATIO M

INAUGURALI

DE

RE ALIMEN

QUAM,

ANNUENTE SUMMO

EX AUCTORITATE REVERENDI

D. GEORGII BAIR

ACADEMIAE EDINBURGENA

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADE

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS

Pro Gradu D

SUMMISQUE IN MEDICINA HONOR

RITE ET LEGITIME CONS

ERUDITORUM EXAMINI

DENNIS BRE

Hibernus.

Kalendis Augusti, horâ lo

EDINBURG

EXCUDEBAT C. STE

Academiae Typograp

MDCCCXIX.

(11.)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RE ALIMENTARIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DENNIS BRENAN,

Hibernus.

Accipe nunc victus tenuis quae quantaque secum
Adferat; in primis valeas bene; nam variae res
Ut noceant homini, credas, memor illius escae
Quae simplex olim tibi sederit; at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis.
——————Vides ut pallidus omnis
Coena desurgat dubia. HOR. SAT.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCXIX.

AVUNCULO SUO

REVERENDISSIMO

CAROLO SUGHRUE

EPISCOPO KERRIENSIS;

SPECTATAE PIETATI, INGENIO STUDIIS

EXPOLITO;

ET MORUM SUAVITATI,

NUNQUAM NON COLENDO;

HASCE PAGELLAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Alimentum unum genere, specie multa ; ejus facultatis et effectus, auctionem et nutritionem naturae functiones, motuque quantitatis fieri.

HIPPOCRATES.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RE ALIMENTARIA.

Quod natura cibum cuique animanti proprium tendat, minime mirum est. Exinde igitur animalium in herbivora, carnivora, granivora, omnivora, &c. distinctio; sed hanc animalium distributionem, quasdam desiderare animadversiones, merito agnoscunt Anatomici.

Homo sanus et bene valens plurimis fungi officiis est vocatus; igitur multa per cutem sudore feruntur, multa quoque exhalatione internâ diriguntur, et excretionibus diversis rejiciuntur; actio et reactio necessario subsequuntur, atque inordinata machina exsuccum et delassatum corpus ad cibum capiendum urget et incitat, atque hoc qui fovet, perficit, nutrit et restaurat corpus, motum vigoremque omnibus partibus impertiri ac elargiri destinatur seligere necesse, ut sua obiret munera. Natura sagax et provida utilitatem voluptati sociari haud dedignata, appetitum vivacem et importunissimum, qui ad cibum sumendum invitat et impellit, sua quoque voluptate haud carere voluit, et ita " miscuit utile dulci." Vacuo existente ventriculo, cibi appetitus semper non est, et concursus perfrequens hujus inappetentiae cum signis aliis, sive secundariis, sive primariis, vel cum animi affectione, magnam molestiam quandoque affert. Cibi satietatem afferre intemperantiam fatendum, hanc quidem rem more suo pulchre adstruit

Professor noster Gregory, "Neque tamen sem-
"per morbosa habenda, male enim de appeti-
"tûs defectu conquerantur helluones, quorum
"corpus mente sanius, cibum quod non eget
"fastidit et respuit." Haud desunt animalia, quae inediam per magnam anni partem sustinere possunt, e. g. Glis. Ut hoc de hibernante cantat Martial,

"Quo tempore nil nisi somnus alit."

Cibum ex regno, sive vegetabili, sive animali, derivari necesse, fossilia sive mineralia organisationi animali nimis dissona decompositionem subire, et ideo nutritiva evadere recusant, variae eorum moleculae, vinculo adeo indissolubili tenentur, ut etiam succus iste gastricus parum in ea polleat. Ne cibaria membranas canalis digestivi afficiant, est consulendum; quomodo ratio victûs, naturam hominum fingit, temperat, et immutat, et aliquando corpus ad varias aegritudines disponit, nobis tradunt medici. Inter alia vitae

genus aegri, studiose pensare debet medicus therapeuticus; parentum dispositionem, solum natale, clima, sexum, aetatem, prius cognitas habere quam alimenta praescribuntur, interest. Qui igitur ex paucissimis admodum factis, theoriam universalem stabilire usurpant, vel qui experimentis sibi ipsis accingunt, ignorare haud debent, quòd unum incertum experimentum, multis copulatum certis, omnia simul incerta reddat; et quòd a propositione particulari, ad universalem haud valet argumentum; nosse quoque expedit, quod huic est amicum, alteri saepe esse inimicum; si ex periculis animalibus institutis aliquid deducendum in hominem, necesse, ut ipsae animi tranquillitati, mutationi victus subitae, quantitati cibi saepe in excessum cadenti, in custodia inclusioni, sexui, anni tempori, et aetati attentio fiat.

Sed alma natura, quae opera sua omnia, ordine certo, constanti, et invariabili regi, perfici, associari, et conservari voluit, theorias

male appensas nullisque rationibus sustentatas respuit, et vanas reddere placet. Inquirendum si

1*mo*. Substantia nutriens unius ejusdemque indolis, atque semper proprietatibus suis uniformis est.

2*do*. Quaenam sunt causae, quae ad substantiam alibilem evolvendam praecipue favent.

Antiqui plurimique ex recentioribus rem alimentariam ejusdem semper esse generis existimant, sed hujus quantitatem variis substantiis existentem quam maxime variare, et ut cibus nutriens evaderet, necesse ut in feculam reducatur; alii et haud parvi nominis medici, alendi facultatem, cuivis fermento ingestis deposito attribuunt.

His equidem assumptis, scepticum me praebere sum inductus; utpote pomis exube-

rans terra, variosque alios large copioseque sua sponte ferens fructus solum, desidiosum vitae genus agenti agricolae alimentum, coelo sub sereno, subministrat; dum iteratus et quandoque tertiatus campus cultu exhaustus, exactusque vix operario, ad vitam sustentandum, parum valens tendit alimentum, et quidam jejunâ ac ingratâ terrâ aucupicem exercere, et ex feris seu avibus victum eorum comparare sunt coacti, vel aqua vicina piscatoribus laboris haud recusat praemium; atque diversis in plagis, cibus compositione ejus quam varius aliquid assimilationi proprium exhibet; igitur ad unicam misturam cibariis diversis detectam, proprietatem associationis attribuere, quam sit difficile; et revera quando plures causae ad unum effectum producendum contribuunt, suam unicuique partem assignare haud parvi est negotii.

Antiquos summâ esse in victu temperantiâ, philosophorum haud secus ac poëtarum nobis scripta tradunt. Lucretius de victu il-

lius temporis simplici, lib. v. canit, haud secus ac Ovidius Metam. lib. 15.

Olera et fruges quae solo nascuntur, animalia quotquot terra vescuntur, atque ordo spectatissimus qui volatu praecipiti per aërem fertur, ac gens piscatilis qui hinc et inde aquam findunt, mensis imponuntur, et nobis eligendi est optio ; nostri, hanc vivendi rationem temporis, mores in consuetudinem vertunt. Sed medici omnes confitentur, cibum simplicem citra magnam artem apparatum, tum ad vitam sustentandam, tum ad corpus reficiendum et restaurandum, virtute quâdam propria esse inditum, et ut ex veterum monumentis hauriri et addisci posset, tum ad corpus a morbis vindicandum, tum ad sanitatem reducendam, quam maxime esse aptum. Ipsa etiam ratio suggerit, et experientia confirmat, quantum sit ad corporis et animi utilitatis integritatem, ex otiosa et laboris experte vita, hominem gradatim deducere, et cum labor esuriem induceret, cibus simplex et sa-

nus ad famem explendam, quam bene convenit.

Magna, integros inter populos, quoad victum vivendique consuetum genus, intercedit differentia; discrimen quod ex magna parte ad coeli aërisque statum referendum; seu terrae atque solo quoque remittendum. Sed omnes improvisas mutationes vivendi ratione periculo haud egere memoria est tenendum.

Quot quantaeque ex omni parte premunt difficultates, quando substantias diversas, regni tum vegetabilis, tum animalis. Pro cibario vulgo exhibitas, in classes distribuere, et ex proprietatibus eorum chymicis, in ordines quosdam redigere quaestio est; et haec difficultas, imperfectione jam existente chymiae animalis, augetur. Etsi enim neoterici quidam gloriam aucupari, et in notitiam ex suis compertis prodere vellent, attamen quod de his experimentis nuper evulgatis multum sit obscuri est confitendum; sed forsan qui

sua bene cohaereret et connecteret pericula, aliquid ad physiologiae scientiam conferat.

Igitur analysis successive fit chemica substantiae quae pro cibo datur, postea dentibus teritur, salivâ penetratur, per oesophagum in ventriculum descendit, illic maceratur, et emollitur, et per duodenum se dirigit, ibi novas mutationes subiturae, et quae denique per intestina exit.

Quidam alimentum et medicamentum eâdem sub definitione includere vellent, et, ut volunt, hoc ab illo solummodo ratione principiorum quantitatis discrepat. Igitur, quid sibi substantiae nutrientis nomen haberet, inquirendum; et, ut facilem et expeditam, ad hujus quaestionis examen, viam nobis sternere possimus,

1*mo*. Principia diversa quae analysis chemica corpori humano attribuit, succincte sunt enumeranda.

2do. Cibaria seu ingesta breviter sunt decurrenda, sed necessaria tractatûs inauguralis contractio quasdam solummodo seligere substantias exigit.

Musculi humani vix ac ne vix quidem adhuc analysi chemicae sunt subjecti; sed in bovis carne, principia sequentia agnoscunt plurimi periculis haud paulum versati; plurimam fibrinam, multam quoque gelatinam, albumen, extractum animale, phosphatem sodae, phosphatem ammoniae, hydro-chloratem sodae, hydro-chloratem ammoniae, phosphatem calcis, et sulphatem potassae, analysin jam enuntiatam nobis praestant Fourcroy et Vauquelin. Proust acidum phosphoricum musculis assignat, sed Berzelius hunc acidum, quâdam ex carnis mutatione, provenire existimat. Thenard, quoddam principium osmazomium ex suo odore nomen accipiens, refert.

Cartilagini albumen et quaedam phosphatis calcis vestigia attribuuntur.

Tendines et ligamenta multum gelatinis, et paululum phosphatis calcis et hydro-chloratis sodae et potassae praebent.

Gelatina magna ex parte aquâ solubilis telam cellularem constituit. Mucus insolubilis epidermidem componit.

Cerebrum humanum secundum Vauquelin, in principia sequentia resolvitur, nempe in materiam quam maxime albumini similem, in massam subpinguem spermaceti haud absimilem, insuper phosphatem calcis, phosphatem ammoniae, et phosphatem sodae cedit, et sulphas calcis parce admodum detegitur. Phosphorus semper adest.

Nulla sunt instituta experimenta ex quibus, quaenam sunt principia chemica quae hepar componunt, concludere est. Hìc fluida quae-

dam animalia quae digestioni inserviunt, breviter percurrere liceat.

Saliva chymicorum periculis nunquam submissa est pura, sed cum muco semper commista reperitur. Animalibus carnivoris acris atque salina, sed homine viscosa et insipida est, et principia sequentia cedit; aquam, materiam animalem particularem, mucum, hydro-chloratem potassae, hydro-chloratem sodae, et sodam. Silentio praetereundum censeo principia succo pancreatico, succo gastrico, bili chemicis concessa. Hìc quidem notare sufficiat, succum pancreaticum salivae simplici haud differre juxta Thompson.

Spallanzani negat acidi sive alcali vestigia indiciis chemicis succo gastrico detegi posse; attamen Goss hac secretione acidum agnoscit; succum gastricum et salivam putrefactionem tardare quibusdam probavit experimentis Reaumurius.

Resina, albumen, materia flava, soda, phosphas, sulphas et hydro-chloras sodae, et phosphas calcis in bile humana juxta Thenard reperiuntur, et perpaullulum admodum oxidi ferri hoc humore, idem chemicus inesse putat. Resinae existentiam in bile admittere haud vult Berzelius; in graminivoris aliud persaepe reperitur principium, quod Picromel nominatur; in calculis biliariis qui hominem affligunt, haec detegitur substantia, quamvis bili est aliena.

Pericula chemicis in sanguine instituta, aquae magnam copiam, albumen, gelatinam, fibrinam, phosphatem ferri, phosphatem sodae, phosphatem ammoniae colorans et sulphur decelant; quidam in sanguine principium oxidum magnesiae admittunt.

Aquam, sacchari lactis magnam copiam, cremor, hydro-chloratem sodae, et calcis, Parmentier et Deyeux lacti foeminae attribuunt.

Urina.—Aquam, uream, sulphatem potassae et sodae, hydro-chloratem sodae, phosphatem sodae, hydro-chloratem ammoniae, phosphatem calcis, et silicem continet. Ex analysi jam allata concludere licet, quasdam urina deprehendi substantias sanguini alienas. Urina, animalium a carne cibum ducentium, ut quidam vellent, sales ammoniacos magna copia tradunt. Sunt qui cerevisiam phosphatis calcis secretioni favere credunt, sed plurima admodum, quae hanc assertionem refellunt, sunt facta.

Home plurimas conjiciens substantias in ventriculum receptas, suos effectus in corpus inducere, priusquam per absorbentia selecta fuerunt, et in canalem thoracicum, ac exinde in sanguinem effundi possent. Ut aliquid huic, quae ad absorptionem respicit, parti physiologiae, contribueret, quaedam in animalibus diversis haud secus ac in homine instituit experimenta.

In animalis, ingestum rheum palmatum ventriculum, chemicis notis sanguine, haud secus ac in urina, suam manifestat existentiam. Insuper rubia tinctorum in idem recepta organum, in sanguine, et exinde in urina, suam prodit praesentiam, et ut ex horum fluidorum examine chemico desumi possint signa, non obstante pylori ligatura animalis, hic transmissus fieri indicatur. Homine rheo palmato devorante, mediante prussiatis potassae in sero sanguinis haec detegitur substantia; atque ex ejus experimentis Home concludit, substantias diversas periculo submissas, per vasa brevia suum ad lienem dirigere cursum,* perquam celere, asparagus ingestus, sui odoris sensum ab effluviis ex urina provenientibus, membrana pituitaria impingit.

---

* Nicholson's Journal, 1808.

Jam adductae analysi, hìc quam nobis suppeditat, observationem Berzelius adjungere liceat; scilicet quòd omnia fluida quae in animalibus foras eliminari sunt destinata, seu fluida excrementitialia, ut quidam ea designare vellent, ab superante acido notantur. Dum haec quae in oeconomiâ animali plures ad usus sunt accomodata, alcalina sint annumeranda. Haec quidem posteriora fluida excremento recrementitialia appellentur.

Phosphas calcis, phosphas magnesiae, phosphas ammoniae, oxidum ferri et manganesii, silex, alumen, et gelatina ossa componunt humana.

Ne sim longior, principia sequentia in animalibus sunt detecta; albumen, gelatina, fibrina, osmazomium, oleum crassum, mucus, phosphorus, sulphur, phosphas calcis, hydrochloras sodae, et variae aliae jam enumeratae partes; atque ex analysi jam allata carptim percursa intelligendum est, easdem solidis ac-

que ac liquidis inveniri partes constituentes; ita quamvis nulla nota in cruore osmazomium agnoscitur, attamen ex cruore in osmazomuim transitus haud tantam navet operam; sed quaedam principia fluidis quibusdam sunt propria, ita butyrum, et saccharum lactis lacte solum deprehenduntur, sed forsan merito, butyrum lacte praeexistere, contenditur; et haec virtus fluidi a sanguine diversi separandi quibusdam partibus departita, secretio nominatur.

Magnum ad nutritionis notitiam aperiret iter, qui ex quonam fonte derivatur azotum in animalibus detĕctum statueret; tendebant in diversum sententiae hac de re emissae. Sunt, qui alimenta exhibita azotum evolvere volunt; alii hoc inspiratione introduci contendunt; tandem quidam sunt, qui vitae operė gigni credunt.

Ad hoc igitur argumentum illustrandum quaedam de cibariis dicere liceat. Et,

1*mo*. *De Vegetabilibus.*—Principia quae nobis praebent vegetabilia, ad pauca capita reduci possent; scopus hujus tractatûs quibusdam advertere exigit. Sed pauca admodum huic rei consecrare velim verba.

1*mo*. De amylo aliquid est dicendum. Fecula seu amylum in omnibus vegetabilium partibus reperitur, et ex quacumque parte extrahitur, easdem semper sibi vindicat proprietates; ita in radicibus et trunco detegitur, sed cerealium semen praecipue diligit. Oryzâ, hordeo, et tritico abundat, et leguminosa perplurima feculam praebent, sed oleum quoddam subpingue hoc cum principio recondunt, equidem amylum purum et sincerum raro admodum in vegetabilibus invenitur. Fecula pura in aquâ tepidâ macerata gelatinae animali haud parum simulat. Triticum, avena, et hordeum, hanc substantiam pene puram nobis tendunt. Iodis ope amyli agnosci possit praesentia, colore quem fluido hoc principio impregnato communicat. Viribus deficien-

tes magnum, ex alimento ab orchide comparatum quod salep designatum, fructum percipiunt. Si daucus carrotta, et solanum tuberosum flatulenti recensentur, hic non est objiciendus in amylum defectus, sed feculae cum aliqua fermentationi prona substantia conjunctioni, quandoque saccharinum, cum amylo, principium associatum, hunc dirigit effectum; aliquantulum materiae colorantis hanc ventosam qualitatem quandoque corrigit.

Saccharum.—Plurimae ex classe Monoëciae, ordine Syngenesiae, hoc affatim possident principium sed betonica in saccharina qualitate, nullis quae hoc sub coelo nascuntur plantis, secunda est, gramina quoque tam esculenta magnâ copiâ succum saccharinum cedunt.

Saccharum quod plurima nobis vegetabilia large et copiose exhibent et subministrant, in animalium prospera valetudine fruentium lacte, solummodo detegitur, et saccharum ve-

getale, et saccharum animale paucas admodum proprietates similes habent, prius copiose acidum oxalicum acido nitrico emittit. Secundum mediante eodem acido, acidum oxalicum parce admodum tradit. Fermentatio alcoholica prius distinguit, posteriore haec produci nequit fermentatio.

Gluten chemicis fibrinae quam maxime affine merito recensetur, pani proprietatem suam nutritivam impertit.

Gummi, saccharum, amylum, oleum vegetabile, et multo plus oxigenii quam substantiae animali tribuitur, possident.

In praesens, aliquid de regno animale est dicendum. Et

1*mo*. *De Albumine*.—Albumen ex chylo, sanguine, seu synovia extrahatur, sed ex ovi albo praecipue derivatur. Calori submissum in massam duram et firmam coit. De hujus

effectûs causâ, parum inter se consentiunt auctores, hujus principii vis nutriens omnibus merito admittitur. Carbon, oxigen, et hydrogen, elementa ejus constituentia sunt conscripta. Gelatina, quae restaurandi vi quam maxime pollet, in musculis, tendinibus, et in ossibus invenitur.

Fibrina musculorum, haud secus ac sanguinis, pars est agnoscenda.

Osmazomium cum gelatina associatum semper carne detegitur. Ei existentiam separatam pauci admodum attribuunt chemici.

Quidam prae caeteris carni accomodantur apparatus. Ita vitulina, agnina, et omnium juniorum animalium caro, suam ob viscositatem assa est anteponenda. Bubula saepe admodum elixa mensae imponitur, sed quando cum vegetabilibus est immista digestionem magis promovet. Ex frixis in ventriculum receptis, ingrata fit cardialgia, et ranciditas

quae ex frixorum ingestione quandoque percipitur, butyro est attribuenda quibus obducuntur.

Salsamenta et fumo siccatae carnes impetiginibus favent, sed parce admodum sumptae concoctionem accelerant.

Ex jam allatis haud ambigitur, quantum oeconomiae humanae est accomodatus ipse cibus animalis, qui hujus compositioni prope admodum accedit; sed quando vegetabilibus ipsa commista est caro, multo magis nutriens evadit.

Vegetabilia quaedam alimento sufficere homini, ac valens nutrimentum praebere experientiâ ipsâ satis testatur. Ita Hibernus, quem operoso labore totam expendere diem, dura pauperies diraque necessitas exigunt, radicibus solani tuberosi vitam sustinet, et sitim aquâ quiescere discit. Sed non obstante hoc vivendi modo, valetudinem seram us-

que ad aetatem sustentat. Pietatis servantissimi a carnibus quibusdam sibi ipsis injungunt abstinentiam. Haec austeritas aliquid ad cupiditates coërcendas, ut opinio eorum fert, contribuit. Equidem continentia a substantia animali solummodo per unam septimanae diem, multum ad sanitatem conferrat. Atque haec a quodam alimenti genere interdictio, antiquos inter multum est usitata, ac religiosis quorundam populorum statutis connectitur, et Juvenal scrupulum hunc quorundam tradit,

> Nefas illic foetum jugulare capellae
> Carnibus humanis vesci licet.

Haec est objicienda in vegetabilia culpa, quòd in ventriculum sumpta, in acidum tendunt, et quòd parum materiae nutrientis comprehendunt. Herbivora, haud secus ac carnivora animalia azotum continens ingerunt pabulum, sed ut paucae admodum plantae hunc aërem possident, forsan haud temere

concluditur, azotum herbivoris alimentum haud praeberi. Sed inquirendum est, utrum omnivoris azotum, principium vere nutriens est aestimandum.

Hunc in finem Magendie canes ad quaedam subjecit tentamina, industriâ ac magna solertiâ facta. Animal hoc ut medicus iste admonet, cibo vegetabili haud secus ac animali alitur et nutritur, substantias quasdam magnâ cum curâ selegit, quae azoto carere judicantur, tamen nutritivae vulgo aestimantur, hae omnes saccharo competunt conditiones.

Adjicit Magendie " J'ai mis un petit chien " gros et bien portant a l'usage du sucre " blanc tres pur pour tout aliment, et de l'eau " distillée pour boisson il avait, de l'un et de " l'autre a discretion." Diebus triginta duo, quam experientia ingreditur, mors e medio tollit animal. In cadavere sunt detecta signa sequentia, scilicet musculi emaciati, ventricu-

lus contractus, et intestina extenuata et valde reserrata erant.

Bilis examini submissa Picromel monstrat. Faeces nullum azotum praebuere. Urina indolem alcalinam manifestat; acidus uricus detegi nequit, nullus obtineri potest phosphas. Duo in saccharum facta pericula, huic jam allato similem reddunt effectum, nisi quod vita paulo diutius producta fuit. Exinde concludit horum experimentorum auctor, saccharum cani sufficiens haud tendere alimentum.

Oleum olivae ac gummi parum valens exhibent alimentum, secundum Magendie, utpote azoto carentes, variae substantiae periculo submissae in chymum reducuntur, et in chylum elaborantur colore aliquantulum varianti, sicut haec aut illa animali porrigitur substantia alimentaria. His igitur ductus experimentis, Magendie putat medicum, quando calculorum formationem im-

pedire vel sistere agitur, in id incumbere, ut alimentis azoti destitutis acidi urici generationi obstaret; ac hunc in finem, cibum animalem laboranti interdicere necesse est, ac diuretica large et copiose praescribere.

Secretiones equidem omnes, qui in animale conficiuntur, uno ex fluido communi provenire existimantur, ita sanguis arteriosus omnibus organis secernentibus, elementa fluido separando necessaria subministrat, sed vis nervosus hujus ad functionis exercitationem quoque contribuit. Ad bilem gignendum, materiam suppeditat ista vena portarum, quae hoc in casu arteriae implet munus. Glandularum structura tantopere varians, humoris secreti discrepantiae rationem redderet, et plaga, cibus assumptus, secretioni qualitates novas adderet, et equidem natura, quibusdam in regionibus, quaedam nutrientia prodigare voluit, quae aliis denegantur, et haud immerito ipsum victum mores et indoles ipsis communicare populis

peculiares asseritur; ita segnes et inertes sunt regionum calidarum incolae.

Magendie, ut mihi videtur, conclusionem paululum incautam ex ejus experimentis ducit. Canem animal esse omnivorum admittere non possum, quamvis enim hoc animal panem quandoque devorat; attamen, ut ex Linnaei definitione constat, leguminosis limitari nequit hoc animal immerito contendit Magendie, urinam animalium carnivororum sales nonnullos uricos continere, ut ex analysi hujus secretionis quibusdam scientia chymica quam maxime versatis factâ constat. Animalium carne vescentium urina persaepe abunde praebet sales ammoniacos. Quibusdam in regionibus saccharum incolis magnam per anni partem alimentum tendit.

Plures igitur sunt rationes quae, hanc azoto virtutem exclusive nutrientem, quo minus adhuc admittatur, obstant.

Timeo, caeco impetu, me quosdam hac dissertatione consignare errores, rem tantopere disputationibus irretitam seligendo; sed vestram, Professores dignissimi, quibus prima medicinae principia hausi, et quorum scriptis sive lectionibus quicquid scio, acceptum referro, indulgentiam peto.

FINIS.